



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De recta bonorum Ecclesiasticorum conseruatione & administratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

interdicti, decreti, promulgationis, iussionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aut hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Roma apud S. Petrum Anno incarnationis Dominice, millesimo, quingentesimo, sexagesimo octavo Calend. April. Pontificatus nostri Anno tertio.

Cæs. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1568. Indictione undecima, die verò decima mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. anno tertio retrospectæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem exemplis affixis per nos Iulium Parinum, & Ioānem Andream Paniziam Prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Bartholomæus Sottocasa Mag. Curs.
Registrata apud
Cæsarem Secretarium.

DE RECTA BONORVM ECCLESIASTICORVM CONSER- uatione & administratione.

- i. **B**onorum Ecclesiast. quæ Ecclesiæ vnà cum religione accreuerunt: cum ad cultum & maiestatem diuinorum officiorum: tum ad sustentationem, & mercedem tēporalem, seu honorariū ministrorum Dei, & pauperū ac miserabilium personarum necessitates subleuandas: habenda ratio est, & vt non solum à nullis indignè dissipentur, vel dilapidentur, aut iniuste retineātur, vel temerariè

rariè vsurpentur, ad pauperum oppressionem, operario-
rum Dei defraudationem, ac religionis interitum; & vt
his, quæ à maioribus in hos vsus donata sunt, aliqua ac-
cessio fiat, ac non solum hæc pietatis illorum monumē-
ta, quemadmodum accepta sunt, integra, facta teq; po-
steris tradantur, sed nostra quoq; cum senore, pari religi-
one & pietate illis adijciantur. Quod præstare cupientes,
sancienda duximus quæ sequuntur.

2. Quotquot Beneficia obtinent Ecclesiastica, siue re-
gularia siue sæcularia: totum quod sibi a supereff, ex ho-
nesta & decenti sustentatione sua, ac familiæ suæ, erogā-
dum esse sciāt pauperibus, vel in vsus dumtaxat pios ex-
pendendū, & à reatu *b* peccati mortalis, ob violatā chari-
tatē, nō fore se immunes, si magno seu notabili defectu,
vel excessu infideliter in hoc agāt. Nā si omni Christia-
næ familiæ dictū à *c* D. Amb. sit: *Plus quā sufficiat sumptui,*
violēter obtentū est: & Christianos oēs sequē tangant verba
D. Hieronymi: *Alienarapere conuincitur, qui vltra necessa-
ria retinere probatur:* eademque alijs patribus fiet senten-
tia: multò magis Clericos ac Beneficiatos omnes percu-
tere ista debent, qui & præ alijs *e* frugalius tenentur viue-
re, & ad eleëmofynarum præceptum arctius obstringun-
tur: cum ex nomine & professione sua; & quia ministri
Christi sunt alijsque omnibus in exemplum dati; tum ex
f natura bonorum Ecclesiæ, quæ ad frugalem, honestam
ac decentem sustentationem suam & communem Rei-
pub. Christianæ vtilitatem acceperunt; non autem vt
hinc superbirent, *g* ebrii essent, rebusq; omnibus afflue-
rent, alij verò frigore, fame, & egestate perirent.

a Luc. 11. b
D. Thom. 2.
2. qu. 118. art.
4. & qu. 185.
art. 7. &
quodl. 6. art.
12. Caiet.
in citata D.
Thom. loca.
Adrian. 6. in
4. Sēt. qu.
an cler. prodē
gē consumēs,
teneatur re-
stituere: &
quodl. 5. ar.
1. Petrus de
Soto de vita
Sacerdotum,
lectio 3.
Nauarrus in
manuali c. 23
num. 74. &
latissime in
tractatu de
redditijs
Benefic. Eccl.
Corduba li. 1.
Quæst. qu. 18.
in prob. 2. o-
pinion. Lud.
Lopes in
instru.torio

1005 par. 1. ca. 140. & seq. & alij. Clemens Rom. Const. Apost. ca. 24 & 25. li. 2. & ibid Turrian c. D. Amb.
serm. 81. in dict. illud Luc. ca. 12. Hominis cuiusdam diuitis, vberes fructus ager attulit. D. Basil. in
eundem D. Luc. locum, homil. 6. inter homil. variorum arg. idem ibi. hom. 7. in diuites auaros. Dist. 47. ca.
Sicut hi d. Dist. 42. ca. Hospitale. 16. qu. 1. ca. Quoniam. 12. qu. 1. ca. Quia tua fraternitas. ca. Episc.
ca. Res Eccl. ca. Nulli. et ca. Vlt. D. Greg. in 3. par. Past. admonitione 21. & 22. D. Leo serm. 1. & 5. de Col.
D. Aug. serm. 219. de tēpore. D. Chrys. conc. 2. de Lazaro tom. 2. in fine et hom. 34. ad pop. Antioch. c. 1. Tim.
6. D. Hier. citatus à Grat. dist. 44. in princ. 16. qu. 1. ca. vlt. D. Bern. serm. 23. super Cant. & serm. de verbis
Dom. Dixit Simon Petrus ad Iesum et epist. 2. quæ est ad Fulc. Lingon. Ar. hid. vide supra pa. 2. 7. §. 33.
f arg. in act. apost. ca. 2. et 4. et. ca. Cum secundū. de præb. et dignit. D. Aug. epist. 50. g. Matih. 24. 1. or.
11. can. Apo. ca. 41.

Dddd

3. Quare

h. sess. 25. ca. 1.
de reform.
i. cap. Pastor
Ecclesiae. 1.
qu. 2. & ibi.
quest. 2. cap.
Quisquis.
Can. Apost.
ca. 39. 75. Cōc.
Carthag. 4.
ca. 15. c. Epif.
dist. 41. k.
psal. 101. Ec-
cles. 3. & 35.
Phil. 2. Mat.
11. 18. 1. cap.
Magnæ. de
voto. Concil.
Trid. sess. 22.
ca. 1. de refor.

3. Quare ne consanguineos familiaresque suos (quod à Patribus h. Concilij Tridentini maxima auctoritate iustissimisque rationibus, omnibus interdictum omnino est) ex redditibus Ecclesie augere studeant: sed omnino humano erga fratres, nepotes, propinquos, ac familiares carnis affectu penitus deposito, si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuât, & diuitias Ecclesie Dei, non ad luxum, pompam, aut ad voluptatem suam; sed ad hæc quæ Dei sunt conuertant: modestaq; supellectili & mensa, ac frugali victu contenti, ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiae, ac quæ nos tantoperè commendat Deo, sanctæ k humilitatis / exempla petere possint, ac in omni conuersatione sua caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum, præ se ferat.

4. Omnes Prælati ac Concionatores, & operis exemplo, & prædicationis verbo, Clerum ac populum sibi subiectum doceant; primum Christianorum fructum esse, carnalia sua his communicare, à quibus spiritualia accipiunt: & quæ ad fidei & religionis conseruationem faciunt, inter quæ & templa, & sacra instrumenta numeramus, non solum bonorum temporalium communicatione, sed & vitæ (si quando opus esset) periculo tueri: nec minus vnumquemque pro vocatione ac modulo suo debere satagere, ut fides & religio, & quæ ad eius exercitium pertinent, inuiolata & potius aucta, quàm integra posteris manu tradatur; quàm maioribus curæ ac religioni fuit, ut eadem nobis prouiderent, ac magno cum apparatu conseruarent.

Marc. 11. Galat. 6. 1. Cor. 9. 1. Timoth. 5. D. Ambros. lib. 5. epist. in Auxentium. De basilicis tradendis & epist. 33. ad Marcellam sororem lib. 2. offic. cap. 28. lib. 10. tripertit. 11. 1. cap. 6. & Theod. li. 5. hist. cap. 32. D. Aug. lib. contra Donat. post collat. ca. 1. Optat. Mileuit. lib. 3. & 6. ad Parmenianum & alibi.

5. Collegiorum, & monasteriorum aliorumq; templorum ac sacro-

ac sacrorum locorum officarij, quibus cura seruandorum, administrandorum, vel dispensandorum bonorū Ecclesiasticorum committitur, cuiuscunq; sortis aut generis illa fuerint: iureiurando promittant, se velle ea fideliter conseruare, tractare, & administrare, & quotiescunq; iubentur, dare rationem: diesq; certus reddendæ rationis eis præfigatur, sub pœna suspensionis ab officio, & emolumentorum perceptione.

Concil. provinc. sub Adol. 3. in cœsuris & decretis cap. Accepimus. pag. 448. & in his que in Cathed. & Colleg. Ecclesijs inquirenda sunt §. 35. pag. 480. ca. Quia contingit. De religiosis domib. in Clement. quod ex decreto ca. 15. sess. 7. Concil. Trid. in Synod. Diœces. An. 1551. publicatum est. pag. 523. Stat. Frid. ca. 62. pag. 224. d. 225. a. ca. 66. pag. 225. d. 226. a. b.

6. Vbi plures idoneæ personæ sunt, vni, ne plura, quā vnum, officia cōmittantur: nisi vel natura connexa sint, vel vnus tantum valeat industria, vt solus plus alijs præstare possit.

Concil. provinc. sub Adolp. 5. loco citato. Statut. Sifrid. cap. 65. pag. 225. c. d. cap. 66. pa. 225. d. 226. a.

7. Omnes & singuli Abbates, Præpositi, Priores, Decani, & alij, qui monasterijs vel Ecclesijs Ordinario subiectis præsunt, per se vel suos receptores, Magistri quoq; seu administratores Fabricæ, tã Parochialium, quam Collegiatarum Ecclesiarum, nec non & hospitalium, & omnium piorum locorum, Ordinario, aut quæ vel quos ille specialiter ad hoc cōstituet, & senioribus Ecclesiæ vel loci sui, singulis annis, aut ad summum altero quoque anno, exactam & distinctam, de tota administratione sua reddant rationem; sine villo præiudicio statuti aut cōsuetudinis, quæ vel crebrius, vel alijs quàm præscripsimus, hunc cōputum faciendum fanciuit.

Cap. Quia cōtingit. De religiosis domibus in Clement. Adol. 3. in his que in hospitalibus inquir. sunt. §. penult. & vltim. pa. 457. d. ca. 15. sess. 7. Concil. Trid. in Syn. Diœce. An. 1551. publica. pa. 523. a.

8. Abbates, Priores, & singuli Prælati, Pastores, ac Ecclesiarum quarūlibet Rectores, in Ecclesijs sibi subiectis, quotannis statō tēpore inspiciant & examinent libros, vestes sacras, ornamenta, oīaq; instrumenta sacra & prophana, ad diuinū officium necessaria; & si qua instauratione,

Dddd 2

vel

Cap. 7. pag.
82. d.

vel in nouatione opus fuerit, ea ex praescriptione Concilij provincialis Anno 1310. sub Henrico habiti, quam primum fiat.

Adolph. 3.
in his quae in
Cathed. et
Colleg. Eccle
sijs, inquirenda
sunt. §
86 pa 483. b.

9. Singuli Ecclesiarum praefecti, tam regulares quam saeculares, semel in anno per se vel per alios, visitent & inspiciant domos, & cortes quas vocant, Ecclesiae suae, curamq; adhibeant, ne in habitatorum & cultorum negligentia, ruinae succumbant & intereant.

10. Hospitalibus, quae Ecclesijs Collegiatis adiacent, praeficiatur vnus atq; alter Canonicus, qui hospitalitate ibidem ex fructibus ad id deputatis, exerceri perpetuo curent.

Adolph 3 in his quae in hospitalib inquirenda sunt § 12 & in Synodo an. 1551. habita. ex ca 15 sess. 7. Concil. Trident. cap. Quia contingit De religio. domib in Clement.

Stat. Frid.
ca. 52 pa 218.
b. c.

11. Singuli Beneficarij, Officiantes, & altarisae, intra trimestre a publicatione horum decretorum, sub poena duorum aureorum Rhenensium, conficiant inuentarium calicum, corporalium, purificatoriorum, sanctarum reliquiarum, sacrarum vestium, ornamentorum, librorum, aliorumq; sacrorum instrumentorum, tabularum pictarum, omniumq; reddituum, obventionum, lurium, atq; bonorum, ad Beneficia vel officia sua spectantium; quod ipsi quidem quoad vixerint, semper seruent, post mortem autem eorum vel Beneficiorum, aut officiorum defunctionem, eorum successoribus, in eorum institutione tradatur, eiusq; authenticum exemplum, intra praefixum tempus exhibeant superiori Ecclesiastico, aut Pastori vel Rectori eius Ecclesiae aut loci, in quo Beneficia vel officia illa obtinent, & superior ex omnibus inuentarijs, addito etiam inuentario omnium bonorum quae ad suum Beneficium pertinent, & ad Beneficia aut officia, quae forte nullum possessorem habent, vnum librum faciat, in Archiuis Ecclesiae suae fideliter conseruandum, atq; illius authenticum exemplum tradat Ordinario.

12. Litterae originales, regesta, & alia quaecunq; munimenta.

nimēta vel instrumenta, officiorum, Beneficiorum, ob-
 uentionum, iurium, & quarumcunq̄ue rerum Ecclesia-
 sticarum, quæ vetustate consumuntur, sumptibus & cu-
 ra Beneficarij, aut Officiantis, si ad Officium vel Benefi-
 cium spectent: Si autem ad Collegium, vel quamcunq̄;
 aliam Ecclesiam, sumptibus & cura Collegij vel Eccle-
 siæ, in authenticam formam transumantur, & vna cum
 transumptis suis, in sua Ecclesia, sub tuta & fideli custo-
 dia conseruentur.

13. Archiui vel cistæ in qua huiusmodi litteræ, monu-
 menta vel instrumenta Abbatiarum Monasteriorum
 & Collegiorum seruantur, vnam clauem habeat Præla-
 latus vel Præfectus Ecclesiæ, alteram Abbatia, Monaste-
 rij, vel Collegij, senior, tertiam verò qui ingressu ad Mo-
 nasterium seu Collegium huic proximus est, saluis ta-
 men Ecclesiarum statutis, & consuetudinibus, quæ The-
 saurarijs, si eiusdem Collegij vel Monasterij membra
 fuerint, vel aliam aliquam in Monasterijs vel Collegijs
 præfecturam gerentibus, vnam clauem seruandam tri-
 buunt.

*D. Gregor. Ep-
 ist. 66. cap.
 66 lib. 7. in-
 dist. 2.*

14. Cistæ Vicariorum, Officiantium, & Altaristarum, vnam clauem habeat Decanus Collegij, alteram senior
 Canonicus Presbyter, tertiam senior Vicarius, iuxta sui
 introitus ordinem.

*Stat. Frideri-
 cap. 52 pag.
 218. b. c.*

15. Archiui parochialis Ecclesiæ, vnam clauem Pa-
 stor custodiat, alteram senior prouisor Ecclesiæ, seu re-
 ctor fabricæ, aut ædilis, & tertiam huius senior Col-
 lega.

16. Si quando Archiuum aut cista huiusmodi erit
 aperienda, singuli clauium custodes personaliter ipsi-
 met compareant, aut si ægritudine, vel quavis alia graui
 necessitate impediuntur, nulli alteri clauem suam credant,
 quam seniori post se, vt semper tres diuersi adsint ex di-
 gnioribus, & primis Ecclesiæ. Idem obseruetur quan-
 do quis

Ibidem.

do quis ex clauium harum custodibus, à loco residentiae suae, abesse ad tempus cogetur.

Stat. VVichbold. cap. 16. pa 56. a. Concil. provinc. sub Adolp. 3. in censur. & decret. cap. Accepim⁹ pag. 448.

17. Laici prouisores Parochialium Ecclesiarum, qui pro conseruatione aedificiorum, luminarium, & comparatione ornamentorum instituuntur, nihil ordinent absque consilio sui Plebani, cui bis in anno teneantur reddere rationem; postridiè nempe B. Margarethæ, & Cathedræ B. Petri, vt si quid inordinatè egerint pro vtilitate Ecclesiarum, prout in Domino faciendum videbitur, corrigatur atq; reformetur.

18. Alienationes rerum Ecclesiasticarum, quæ in damnum Ecclesiae, aut sine decreto superiorum, ac causâ cognitione factæ sunt, ipso iure irritas decernimus; ac de cetero eiusmodi alienationes perpetuas, sub pœna excommunicationis ipso facto, tam per Clericos, siue seculares, siue regulares eas facientes, quàm per Laicos cum eisdem contrahentes (à qua non nisi locorum Episcopi absoluerè possint) incurrenda prohibemus.

Statu. Frideric. cap 32 pag. 205. d. 206. a. b. c. cap 58. pag. 221. d. 222. a. b. Statu. Sifrid. cap. 12. pag. 45. d. 46. a. b. cap. 2. De rebus Ecclesiae non alienandis in 6 & extrauagant. Pauli. 2. quæ incipit. Ambitiosa.

Ca. De precarijs. 10. quest. 2. & ca. 2. De precarijs.

**Ca. Ambitiosa in extrauagant. Pauli 2.*

19. Locationes bonorum Ecclesiasticorum, quæ representata pecunia fiunt, nullatenus successores obligent, quocunque priuilegio vel indulto non obstante.

20. * Locationes rerum Ecclesiasticarum quæ huc vsque factæ sunt, diligenter ab Episcopis examinentur, & ad longius tempus, quam Canonicae sanctiones præfixerunt, factas, irritas, & nullas declaret.

21. Quotiescunque locationes bonorum Ecclesiasticorum fient, vel contractuum innouationes; scripto expressa limitum, quibus illa continentur, fiat declaratio: ne per intermissam diutius huius rei agnitionem, illi in obliuionem veniant, aut quoquo modo obscurari possint.

22. Vt populus fidelis ab iniqua rerum Ecclesiasticarum inuasionem, detentionem, aut contrectationem deterreatur,

tur, & cognoscat qua obligatione, ad restituenda huiusmodi teneatur: in linguam vulgarem fideliter vertatur, & oblata occasione eidem subindè inculcetur caput vndecimum de reformat. sess. 22. Concilij Tridentini; quod sequitur.

Statu. Engelbert. cap. 4. pag. 21. & cap. 7. pag. 22. d. Statu. VVichbold. cap. 7. pag. 52. c. d. cap. 14. pag. 55. d. Concil. prouinc. sub Henrico 5. pag. 79. b. c. Adolp. 3. in hu. que à Decanis & Pastorib. inquirenda sunt. §. 63. pa. 488. a. Statu. Herman. 4. §. 2. pag. 272. a.

Si quem Clericorum vel Laicorum, quacunque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, ut alicuius Ecclesie, seu cuiusvis secularis vel regularis Beneficij, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, que in ministrorum & pauperum necessitates conuerti debent, per se vel per alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios usus conuertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijs ad quos iure pertinent, percipiantur; is anathemati tam diu subiaceat, quam diu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione supposita personæ, peruenerint, Ecclesie, eiusque administratori, siue Beneficiato integrè restituerit, ac deindè à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesie Patronus fuerit: etiam iure patronatus, ultra prædictas pœnas eo ipso priuatus existat. Clericus verò qui nefandæ fraudis, & usurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat; nec non quibuscunque Beneficijs priuatus sit, & ad quacunque alia Beneficia inhabilis efficiatur: & à suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui Ordinary arbitrio suspendatur.

23. Similem excommunicationem in eos decernimus, Stat. Sifrid.
qui

cap. 12 pag.
46. a. b.

qui licet ipsi non detineant, bona, titulos, litteras, chartas, instrumenta, & munimenta ad Ecclesias aut Beneficiatos pertinentia; sciunt tamen præscripta ab alijs detineri: si post trinam monitionem præmissam, ijs quos negotium concernit, non denunciauerint.

24. Inculcari etiam populo volumus, quæ in eodem Concilio Tridentino sessione vigesima quinta, capite duodecimo de reformatione ex instinctu naturæ Dei & Ecclesiæ institutione, de reddendis decimis decreta sunt & in eandem sententiam adduci, quæ in statutis Prouincialibus, præsertim Engelberti & Henrici, olim definita fuerunt, quæ in subtractores decimarum, aliosque qui illas impediunt, excommunicationis sententiam non solum ferendam pronunciant, sed latam decernunt, ac sterilitatis, pestilentiæ, tempestatis, aliorumque malorum, quæ frequenter eueniunt, eos causam esse statuunt.

Exod. 22. 23. Leuit. 27. Num. 18. Tob. 1. Malach. 3. Concil. Maticonens. 2. ca. 5. Concil. Ticin. vers. In sacris Cap. Decimas 16. quest. 1. cum sequent. 16. quest. 7. cap. Parochianos Cap. Ex transmissa, & cap. Tua De Decimis. Statut. Engelberti. cap. 5. pag. 22 b. Concil. provin. anno 1310. sub Henric. habit. cap. 1 pag. 75. d. Statut. Henric. anno 1330. edit. cap. 2 pag. 104. d. 105 a. Synod. Diocesana. sub Adolph. 3. anno 1351. habit. pag. 529 d. D. August. sermo. 219. De tempore.

CAPVT XII. DE REFORM. SESS.

25. Concil. Trid.

NON sunt ferendi, qui varijs artibus, decimas, Ecclesijs obuenientes subtrahere moluntur; aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt; cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus, cuiuscunque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in possessione Cathedrali, aut quibuscunque alijs, Ecclesiæ, vel personis, quibus legitime debentur integre persoluant. Qui vero eas, aut subtrahunt, aut impediunt; excommunicentur; nec ab hoc crimine

mine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur. Hortatur de hinc omnes & singulos pro Christiana Charitate, debito q̄ erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis & Parochis, qui tenuioribus præ sunt Ecclesijs, largè subuenire, ad Dei laudem, atq; ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

DE PIIS TESTAMENTIS.

Quoniam piarum dispositionum executores, & tutores sunt Episcopi; idque D. Sifridus considerans, ob magnitudinem Dioecesis Colonienfis, præter Sigilliferum suum, in singulis Archidiaconatibus duos esse voluit, qui testamētis superintenderent, & in testamētorum executores inspectionem haberent; Nos perpendentes magnam quoque esse singulorum Archidiaconatuum amplitudinem, hoc onus in Ciuitate quidem Colonienfi in Sigilliferum; extra Ciuitatem verò; in Dioecesi tamen Colonienfi, in Decanos rurales dispertendum iudicamus, & illis omnibus ac singulis; pro districtu regiunculae suae, hanc curam, hoc nostro decreto imponimus: & executores quoscunq; testamenti, seu vltimae voluntatis, codicilli, aut ordinationis quorumcunq; Legatorum, sub poena decem florenorum Rhenensium, fisco soluendorum obligamus, vt intra mensem, à die mortis testatorum computandum, Sigillifero, si in ciuitate Colonienfi habitent, vel alioquin Decano Rurali cui subiacent, authenticum exemplum testamenti, & inuentarij, bonorum relictorum exhibeant; Quod si ea tam ampla ac multa fuerint, vel aliud legitimum obstet impedimentum, vt intra præfixum terminum, in inuentarium redigi non possint: hoc ipsum nihilominus, sub eadem poena Sigillifero, aut Decano suo, antè statutum diem indicare, & competentè ab eo petere temporis dilationem teneantur. Teneantur præterea

Eccc

dicti

I.

Ca. Tua nobis. Detestament. Statu. Sifrid. ca. 17. pa. 48. d. Statut. VVichbold. ca. 10. pag. 53. Stat. Theod. f. 61. pag. 263. a. Stat. Philip. pag. 285. 286. Adolph. 3. in Synod. annuali. anno 1550. habit. in mandato cuius initium est. Quamquam diuini. pa. 508. b. et in Synod. anni 1551. pa. 530. d. Conc. prouin. sub Herm. 5. par. 13. ca. 10. Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. refo. & sess. 25. in Decree. de Purgator. Const. Herm. 4. qua incip. Cum nihil plus pa. 269. facie 2. Stat. Herman. 4. pag. 297. b.